

11/

*De recursu adversus decisionem
Dicasterii Curiae Romanae
(Declaratio diei 9 novembris 1970)*

Quicumque putat se iniuste gravatum actu aliquo administrativo proprii Ordinarii vel Superioris, potest recursum interponere ad competens Dicasterium Curiae Romanae.

Contra decretum quo Dicasterium recursum reiicit, pars novum potest interponere recursum ad Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae, «quoties allegetur legis violatio» (*Normae Speciales*, art. 96, n. 1). Recursus fit ad normam art. 106 Const. *Regimini Ecclesiae Universae*, et sequitur iter quod *Normae Speciales*, art. 96-123, determinant. Has enim Normas in Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae servandas, ipse Summus Pontifex ad experimentum adprobavit.

Attamen, ex hoc non sequitur quaestionem modo solvendam esse inter Signaturam Apostolicam et Dicasterium quod recursum ipsi exhibitum reiicit. Verum est recursum duas supponere partes: recurrentem et resistentem. Pars vero resistens, in casu, non est Dicasterium quod impugnatam decisionem tulit, sed Ordinarius vel Superior qui actum administrativum posuit, ex quo *contentio* orta est.

Recursum Signaturae Apostolicae factus semper communicatur cum Dicasterio quod decisionem dedit, et a quo exigitur ut acta omnia et documenta spectantia ad casum, de quo controvertitur, transmittere indulgeat (*Normae Speciales*, art. 112).

Recurrens et altera pars possunt in iudicio stare coram Sectione Altera Tribunalis «solummodo per Patronum» (*Normae Speciales*, art. 99, § 1). Si alterutra pars, quavis de causa non constituerit sibi Patronum, «ipse Secretarius ex officio ad nominationem procedit» (*Normae Speciales*, art. 99, § 3). Omnibus adiunctis consideratis, nominatur Patronus persona quae magis idonea ad causam defendendam censetur, eiusque nomen cum parte communicatur.

Perpensis ergo argumentis, quae *hinc inde* a Patrono utriusque partis illustrantur, recursum vel a limine reiicitur, si manifesto careat fundamento, vel ad discepcionem admittitur, si fundatus appareat.

Cum ratio pastoralis nunquam seiungatur ab iustitiae administratione, Supremum Tribunal saepe nititur ut partes de compositione

agant. Ad hunc finem assequendum potest novas exigere informationes ab Ordinario vel a Superiore qui actum administrativum posuit; huiusmodi vero informationes, attento fine pro quo exquiruntur, ad Supremum Tribunal transmitti debent.

In quolibet casu Signatura Apostolica exitum quaestionis statim communicat non modo cum partibus quarum interest, verum etiam cum Dicasterio quod impugnatam decisionem tulit.